



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Sacramentis In Genere Ac De Sacramentalibus Nec Non De Sacramentis Baptismi, Confirmationis, atque Extremæ Unctionis Decisiones

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Decisio XXVIII. Argumentum. Ostenditur, quando Diaconus possit solemniter baptizare? nec non Parochus suspensus à Divinis?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94638)

in 4. sent. d. disp. 2. art. 2. per totum, ubi principalem rationem esse dicit, quia hoc privilegium Christus concessit Martyrio, ut ex speciali Dei dispensatione habeat vim conferendi primam gratiam, & ad instar Sacramenti, Martyrem justificandi ex opere operato. Idem Maltius in sua Theol. Morali disp. 17. num. 6. Layman. lib. 3. sect. 3. De Fortitudine num. 6. Vers. Contrariam tamen sententiam, ubi DD. citat Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 29. sect. 3. concl. 2. Gobat d. tract. 2. De Baptismo Sanguinis num. 617. ubi non esse extendendum, ait, hoc privilegium Martyrio per pestem; seu ponentibus vitam in obsequio peste infectorum. Et novissimè Eminen. Card. de Lauræa d. tract. de Martyrio disp. 20. num. 146. quo loci, firmat, attritionem sufficere ad obtinendam gratiam, & justificationem in oculis pro fide auctoritate Ecclesiæ Catholice, quæ in spatio sexdecim sæculorum numquam distinxit inter Martyres attritos, & contritos; sed indifferenter haberi, & venerari ut Martyres, docuit, interfectos pro fide; quamvis mortaliter sit impossibile, quin inter tot Myriades Martyrum, aliqui, & quidem plures non fuerint in statu peccati mortalis, & solum attriti.

Sexta conditio est, quod Martyr, in passione non recalcitret, non detrectet, neque se defendat adversus Tyrannum: cum de Martyribus sanctis canat Ecclesiæ: *Caduntur gladiis more bidentium; non murmurat resonat, non querimonia; sed corde impavido mens bene conscia, conservat patientiam.* In Hymn. plur. Mart. ad Vesp. Quare milites Catholici interempti ab hæreticis, atque Turcis ex odio Religionis Orthodoxæ, sunt extra censum verorum Martyrum, si animam exhalarunt, dum se se armis defendebant. Lessius lib. 3. de virtutibus cap. 1. num. 36. Gobat d. tract. 2. num. 614. & Emin. Card. de Lauræa d. disput. 20. num. 266. ubi excusat partem hominis inferiorem, si reformidet tormenta; nam etiam Salvator, in solamen nostrum, tempore Passionis suæ caput pavere, & cadere, quia spiritus promptus erat, caro autem infirma; sed subjunxit, & dixit ad Patrem: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu, fiat voluntas tua.* Matth. 26.

Septima, & ultima conditio veri Martyrii est, ut Martyr sit constans in tormentis usque in finem, & habeat voluntatem perseverantem in passione usque ad mortem; cum scriptum sit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 24. 13. & Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Propterea intra quadraginta Martyres sub Licinio, qui non perseveravit in frigore sustinendo, sed in tepidum balneum descendit, perdidit coronam, quam Janitor meruit obtinere, ut in Brev. Roman. die 10. Martii.

Quo ad ultimum effectus Martyrii sunt sequentes. 1. Supplet Baptismum aquæ, si hic haberi non possit, & delet peccatum originale. 2. Si deficiat Confessarius, delet omnia peccata actualia in adulto ex opere operato, sola attritione interveniente, ut diximus in quinta conditione. 3. Relaxat omnem pœnam, ita ut Martyr statim evelet ad Paradisum. 4. Dum Martyr est in conflictu, & agone, habet specialem Dei assistentiam. 5. Martyrum corpora venerantur ab Ecclesiâ, reponuntur in Altaribus, dies festi, ac templa ipsis consecrantur. 6. Eorum animæ in cælo, præter essentialem gloriam, potiuntur lætitiâ singulari ob Aureolam Martyrii, quæ est præ-

excellenter aureolis Virginum, atque Doctorum. Raynaud. de Martyrio part. 2. cap. 6. n. 32. & 33. Gobat d. tract. 2. num. 619. Maltius in Theol. Moral. disp. 17. n. 6. Layman. d. lib. 3. sect. 3. de Fortitudine num. 6. & 7. & Emin. Card. de Lauræa de Martyrio d. disp. 20. art. ult. atque in 4. Sent. tom. 4. disp. 22. num. 48.

Tandem corollarii loco ad materiam Martyrii Clerus noster notavit causam, propter quam (ut plurimum) ignis, rotæ, bestie, & aquæ parcebant Martyribus; ac semper gladius eos interimebat, Eamque fuisse (cæteris relictis, videndis in Gobato d. tract. 2. num. 633.) quia Deus volebat ostendere, Martyres esse verè nobiles, qui solo gladio de Jure plectuntur. Philipp. Berlaymont. in Parad. Puer part. 3. c. 4. & Gobat ubi supra in fine. Est tamen advertendum, aliquando Deum voluisse, ut neque gladius, seu ensis perimere posset aliquem è suis SS. Martyribus, ad suam omnipotentiam demonstrandam, & crudelitatem paganorum confundendam ut legitur de S. Cæcilia Virgine, & Martyre, de qua Breviar. Roman. die 22. Novembr. ait; quod ad eam immisus est carnifex, qui ter securi idam, cum caput abscindere non potuisset, semivivam reliquit.

## DECISIO XXVIII.

## ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando Diaconus possit solemniter baptizare, nec non Parochus suspensus à Divinis.

## SUMMARIUM.

- 1 Diaconus an possit baptizare, si Parochus absit?
- 2 An solemniter, vel privatè.
- 3 Parochi licentia est necessaria ad baptizandum extraneis necessitatibus.
4. Parochus suspensus an possit baptizare? & num. 7.
- 5 Suspensio à Divinis quæ, & quotuplex sit?
- 6 Sacerdotis officium est baptizare.
- 8 Suspensus à Divinis baptizat in casu necessitatis, sed privatè.
- 9 Impotentia Parochi suspensi à divinis ob debita an eum excuset, si baptizet?
- 10 Beneficium cap. Odoardus de Solut. denegatur in 20. casibus.

Explicite Sanguinis baptismo, & iis, quæ ad essentialiam Martyrii spectant, reassumendo materiam, & tractatum Baptismi Fluminis duo casus sunt decidendi. Primus est Diaconus, absente Parocho, infantem ad Ecclesiam delatum baptizat. Queritur, an bene, vel malè agat? Pro hujus casus intelligentia, & germana resolutione duo sunt præmittenda, ac prænotanda. Unum, quod nulli licet, extra casum extremæ necessitatis, baptizare infantes absque proprii Parochi licentia; vel expressâ, vel tacita; & hoc sub mortali, quia cum baptizare spectet ad Parochum, qui sibi usurpat hoc munus, eo invito, violat Jus alterius, & pervertit Ecclesiæ ordinationem. Barbosa de Parocho cap. 18. num. 12. Layman. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 2. Gobat de Baptismo tract. 2. num. 132. & 134. ubi subdit, Presbyterum, invadentem in hac materia jus alienum, peccare quidem mortaliter, sed nullam incurrere

incurrere censuram, vel irregularitatem. *Alterum*, quod Diaconi officium est quidem baptizare, sed hoc est suspensum, & restrictum ad duos tantum casus, videlicet ad expressam Parochi commissionem; & ad periculum mortis baptizandi. *Cap. Diaconos. 13. & ibi Gloss. diff. 93.* In primo casu omnes DD. concordant, Diaconum posse baptizare solemniter. *Sotus in 4. d. 4. art. 3. concl. 2. Layman, d. lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 3. Vers. Dico quinto.* In secundo autem casu, digladiantur, simul, quia alii tenent, posse à Diacono dari Baptismum privatè, id est, omittis cæremoniis, & cum sola aqua, ut laicis est permissum: propter illa Verba in cit. *cap. Diaconos: ibi: Nisi necessitas extrema compellat, quod etiam in laicis Christianis facere plerumque conceditur.* Ergo eo modo, quo baptizaret laicus, id est, baptismo privato, cum sola aqua, & absque solemnibus ritu, & cæremoniis. *Coninck. de Sacramen. quest. 67. art. 50. dub. 3. num. 27.* quem refert Summa Diana in *Verb. Baptismi Minister. num. 54.* & sequitur Layman, *d. lib. 5. tract. 2. cap. 7. sub num. 3. propè finem.* Alii verò docent, etiam in casu necessitatis Diaconum posse solemniter baptizare, quia facit id ex officio, cujus exercitium in tali casu liberum remanet. *Suarez in 3. par. tom. 3. disp. 23. sect. 3. Diana part. 5. tract. 3. resol. 28.* Quæ locatur in *Coordini. tom. 1. tract. 1. resol. 47.* Et Gobat de *Baptismo d. tract. 2. num. 137. in fine.*

His præmissis, dixerunt. Si urgebat necessitas baptizandi infantem delatum ad Ecclesiam, Diaconus bene egit illum baptizando, etsi solemniter, Parocho ablente, ex *Suarez, Diana, & Gobat supracit.* Malè autem fecit, cessante necessitate; cum non haberet à Parocho commissionem vel expressam, vel saltem tacitam, tum quia invadit Jus alienum, tum etiam quia operatur contra dispositionem Juris, à quo suspensum fuit sui officii exercitium, *d. cap. Diaconus. Layman, & Gobat supracit. qui d. tract. 2. num. 140.* notat, incurrere etiam irregularitatem per *text. in cap. 1. De Cleric. nov. ordin. ministran.*

Alter casus est huiusmodi. Parochus suspensionis pœna à Iudice irretitus, donec æs alienum solvat, in infantem baptizat. Quæritur, an licet? Præmittendum. Primò Suspensionem esse Censuram, per quam persona Ecclesiastica impeditur aliqua potestate, aut jure Ecclesiastico uti. *Navarr. cap. 27. num. 151. Avila de Censur. part. 3. disp. 1. dub. 1. & Layman, lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 1.* Quæ quidem suspensio est duplex, *Totalis*, quæ suspendit tam ab officio, quam à beneficio; & *Partialis*, per quam quis suspenditur, vel ab officio tantum, vel volummodo à beneficio. *Layman. d. cap. 1. num. 2.* ubi notat, quòd qui fuit absolutè suspensus absque alia limitatione, vel declaratione, intelligitur de suspensione totali, quod extra controversiam est apud omnes Doctores. *Secundò* præmiserunt, officium esse Sacerdotis solemniter baptizare extra casum necessitatis; ex vi ordinationis suæ, quod omnes admittunt, *S. Thom. q. 67. art. 2. Concil. Florentin. in Decreto Eugenii IV.* Ea ratione, quia data est Presbyteris facultas consecrandi Corpus Christi, & illud distribuendi fidelibus, & per consequens opus fuit, ut haberent jus disponendi fideles ad recipiendum Corpus Christi, quæ dispositio incipit per Baptismum. *Layman d. lib. 5. tract. 2. cap. 7. n. 2. Gobat de Baptismo tract. 2. num. 130.* qui hoc officium considerant præcipuè in Parocho;

nam per Baptismum quis recipitur in collegium Ecclesiæ militantis, & ad Præsidentem collegii spectat recipere. *Summa Diana Verb. Minister Baptismi num. 54. Matrius in Theol. Moral. disp. 17. num. 33.* Et Eminent. Card. de Lauræa de *Baptismo disp. 15. art. 1. num. 1.*

His præmissis responderunt, illicitè Parochum à Divinis suspensum baptizare solemniter infantem, quia id ei ex officio competit; at per suspensionem prohibita ei sunt, quæ ex officio ad illum spectant, prout est solemniter baptizare. *Layman. de Suspens. d. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. n. 6. corollar. 4. Gobat d. tract. 2. num. 130. & tract. 7. num. 195.* argumento deducto à simili circa illum, qui suspensus ab officio absolvit, & illum qui baptizat. Quocirca dictus Parochus peccavit mortaliter, & incurrit irregularitatem. *Summa Diana Verb. Irregularitas ex delicto. nu. 34. Avila de Censur. part. 7. sect. 2. dub. 2. Matrius in Theol. Moral. disp. 13. num. 86. in fine. & n. 94. in fine;* ubi advertit, & irregularitatem ipso facto incurri ab eo, qui est suspensus à Divinis, si exerceat actum ordinis; secus verò si exerceret actum Jurisdictionis; nam in hoc casu non incurreret in Irregularitatem, sed esse puniendus Judicis arbitrio; quod tamen intelligendum est de Jurisdictione in foro exteriori, & contentioso, non autem in foro interiori, ut de absolute Sacramentali, quæ cum pendeat ab officio, & ordine inducit irregularitatem. *Idem Matrius d. disp. 13. num. 129. & ibi Covar. Azor. Suar. Filliuc. & Bonac.*

Cæterum studentes nostri exceperunt duos casus, in quibus ipse Parochus suspensus à Divinis, baptizando non peccaret, neque incurreret irregularitatem. *Unus* est, si baptizaret infantem in casu necessitatis Baptismo privato; id est, absque ritibus, & cæremoniis; quia hoc non est officium ordinis, & laicis quoque est permissum. *Navar. cap. 27. num. 163. & Laym. pluribus cit. d. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 1. num. 2. Vers. suspensio totalis.* *Alter* casus est, si Parochus suspensus à Divinis, donec æs alienum solvat, esset moraliter impotens ad solvendum; tunc enim impotentia, etiam moralis excusaret illum à censura, & contumacia, & sic posset solemniter baptizare absque peccato, & absque irregularitate, ex doctrina Bonacinae de *Censur. in com. disp. 1. q. 2. punct. 3. num. 1. Reginald. libr. 9. cap. 11. num. 206. & Naldus Verb. 9. Suspensio. num. 10.* Porro talis exceptio non est admittenda, neque practicanda; quia si Parochus est impotens ad solvendum, debet deducere suam impotentiam coram Iudice, & petere beneficium *cap. Odoard. de Solutionib. videlicet, quòd non molestetur à creditoribus, donec venerit ad pinguiores fortunam; quæ petitio facienda est in Iudicio, citatis prius ipsis creditoribus. Theaur. Pedemon. decis. 15. Valasc. conf. 50. & Barbosa de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 39. §. 6. num. 4. & probata prius ejus paupertate, & impotentia; & (quod magis interest) docto, se esse in casu, in quo intret beneficium d. cap. Odoardus; quandoquidem sunt viginti casus, in quibus non conceditur dictum beneficium; scilicet, si Clericus sit excommunicatus: si falso asseruit se esse divitem: si cum creditore versatus sit cum dolo: si factus sit Clericus post contracta debita: si exercuit illicitam negotiationem: si debita contraxit sub spe gaudendi hoc beneficio: si consumpsit bona in ludo, vel luxuriose vivendo: si fuerit per tres sententias*

condemnatus: si sit obligatus in forma Camera Apostolica: si agatur de Pensione Ecclesiastica solvenda: si conveniatur actione reali: si debitum descendat ex delicto: si creditor sit ipso Clerico pauperior: si debitum sit causa depositi: si hæres sit Clericus non confecto inventario: si administravit bona aliena: si sit perjuris, vel suspectus de fuga: vel si debitum negavit; de quibus omnibus casibus tractat Barbosa d. lib. 1. cap. 39. §. 6. ubi textus, & DD. cumulat; nec non Genuent. in Praxi cap. 4. & Anton. de Possentib. singul. 168. Igitur concludendum, quod Parochus judicialiter à Divinis suspensus, donec solvat æs alienum, non potest exercere actus ordinis sub prætextu impotentia ad solvendum, nisi à Judice probata impotentia liberetur à suspensione; aliàs peccabit mortaliter, & erit irregularis.

## DECISIO. XXIX.

## ARGUMENTUM.

Quenam sit materia Baptismi declaratur in hac Decisione. Referuntur errores hæreticorum circa ipsam materiam; & resolvuntur octo dubia à nemine ignoranda circa collationem Sacramenti Baptismi.

## SUMMARIUM.

1. Materia Baptismi qua, & quotuplex sit? & num. 3.
2. Hæreticorum errores circa materiam Baptismi.
3. Aqua est materia remota Baptismi. Proxima ipsa ablutio.
4. Aqua miraculosè exorta an sit Materia Baptismi?
5. Aqua artificialis an sit materia sufficiens?
6. Ablutio an unica, vel trina esse debeat in Baptismo?
7. Puer projectus in puteum cum prolutione forma an sit baptizatus?
8. Ablutio in qua parte corporis baptizandi sit facienda?
9. Capillorum ablutio an sufficiat in Baptismo?
10. Infans inclusus in Secundina an valide baptizetur?
11. Infans nondum egressus ex utero Matris an possit baptizari?
12. Apostoli qua methodo baptizabant?

Quodcumque Sacramentum constare ex materia, forma, & intentione tum ministri, tum suscipientis diximus supra de Sacram. in genere Decis. 1. num. 8. quapropter ad plenam explicationem Sacramenti Baptismi, de quo agimus, oportet scire, Quæ, & Quotuplex sit Materia Baptismi? Præmittendum ad intelligentiam Quæstionis, Tres præcipuos errores adinventos ab hæreticis circa Materiam Baptismi. Flagellantes dicebant, materiam esse sanguinem, ideo flagellis illum ex humeris extrahebant, & in eo se baptizatos dicebant, tum quia in circumcisione, quæ erat figura Baptismi, sanguinis fiebat effusio; tum etiam quia scribit Apostolus ad Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Alii hæretici Jacobitas dicebant, materiam Baptismi esse igneam quandam adulationem faciendam in fronte, vel genis parvulorum; eo quia S. Joan-

nes Baptista prædixerat: Ego quidem baptizo in aqua, in Penitentiam: qui autem post me venturus est (id est Christus) ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igne. Matth. 3. 11. Novissimè Lutherus cap. 17. colloquiorum symposiacorum docuit, sufficere ad materiam Baptismi quemlibet liquorem, ut aquam, vinum, cerevisiam, & quidquid potest madefacere, & esse balneum; quas ineptas hæreses, & hæreticales ineptias confutat Emin. Cardin. de Lauræa in 4. sentent. tom. 1. de Baptismo disp. 12. art. 2. à num. 10. & seqq. ubi respondet Flagellantibus, Circumcisionem fuisse figuram Baptismi quo ad effectum tantum; non quoad entitatem, & significationem; verbaque Apostoli ad Heb. 9. aptè significare sanguinem pretiosissimum Redemptoris nostri JESU CHRISTI. Circa verò Jacobitas, prædixisse Præcursores Domini, Baptismum Christi instituendum in aqua cum virtute Spiritus Sancti, quò verò ad ignem intelligi metaphoricè de igne charitatis, & gratiæ, quem Baptismus Joannis conferre non valebat. Vel de purgatione totius mundi faciendâ à Christo post diem Judicii universalis, ideo sequitur textus Evangelicus dicere, Cujus ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam. Matth. 13. 12. Ad errorem Lutheri superfluum esset responsum, cum habeamus Evangelium manifestum Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c. & ideo illum confutat Gobat de Baptismo tract. 2. num. 15.

His præmissis, respondentes Quæsitio omnes dixerunt: Duplicem esse materiam Baptismi, Remotam, & Proximam. Materia remota est Aqua simplex, naturalis, sed elementaris; sive ex mari, sive ex flumine, fonte, puteo, seu palude in casu necessitatis etiam non benedicta: ad extra dictum casum benedicta juxta ritum Missalis Romani in die Sabbati Sancti. Materia proxima est ipsa ablutio, seu lotio facta hominis cum ipsa aqua. Hac responsio est de fide ob apertas Scripturas, quæ denotant Aquam materiam remotam Baptismi, videlicet, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, Joan. 3. 5. Et Ab. 8. Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Et ad Ephes. 5. Mundans eam (id est Ecclesiam) lavacro aquæ. Et ob diffinitiones Conciliorum tum Lateranensis in cap. Firmiter, De Summa Trinit. & Fid. Cath. tum Florentini in Decreto Eugenii, tum etiam Tridentini sess. 7. Can. 2. de Baptismo. Congruum autem fuit, ut Aqua deputaretur pro materia Baptismi, ut semper, & ubique præstò esse posset; & ut significaret effectus Baptismi, non solum in abluendis sordibus culpæ, sed etiam quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessaria, & communis; juxta quas proprietates operatur baptismus, qui reprimat altus concupiscentiæ, flectit rigorem inobedientiæ illustrat claritatem fidei, introducit in viam salutis; & est Sacramentum omnibus necessarium, & ideo institutum in materia ubique reperibili. Mastrius in 4. sent. disp. 2. de Baptismo art. 1. Et in Theolog. Moral. disp. 17. num. 16. & Emin. Card. de Lauræa d. tom. 1. De Baptismo disp. 12. nu. 11. Quod autem habemus in Historiis sacris de Aquis miraculosè eventientibus, & Baptisteria implemibus pro Catechumenis baptizandis; dicendum est, eas fuisse aquas naturales, elementares, jussu Dei, (cui omnia sunt possibilia) de terraeductas sicut illæ de petra in deserto. Exod. 17. 6. Vide Magrium in Hierolexic. Verb. Baptismus, pag. 70. Sarnellium